2a M. III. c. 4.
260.

8

S. Prisca

OFFICIVM ET MISSA

DIVI

PRISCI CONFESSORIS

MIRABELLAE PATRONI PRINCIP.
EX PERGAMENIS

AVTHENTICIS AQUAEPVTIDAE.

NEAPOLI

TYPIS RAPHAELIS MIRANDAE
Largo delle Pigne n. 60

1848

IN FESTO INVENTIONIS

CORPORIS S. PRISCI CONFESSORIS.

In primis Vesperis.

Antiph. super Psalm.

Sapientia abscondita , et thesaurus invisus , quae utilitas in utrisque ?

Psalmus. Dixit Dominus cum reliquis de Dominica , et loco ultimi *Psalmi*: Laudate Dominum omnes gentes.

Cuius anima in caelo recepta fuerat, huius corpus in terra latebat incognitum.

O vere thesaurum absconditum in agro , et thesauros omnes supergredientem !

Ideo Deus sanctum dedit illum , et manifestavit eum populo suo tempore suo.

Non enim nostrum est, nosse dies, et tempora, quae Pater posuit in potestate sua.

4

Capitulum. Eccl. 44.

Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua a seculo. Deo gratias.

Hymnus.

Prisce, quem laeti colimus patronum,
Dissitae quamvis regionis hospes,
Hic ames dici Pater, et columna
Firma tuorum.
Jure te nostrum memores vocamus,
Cuius exemplis, monitisque nostri
Rite maiores didicere sanctam
Vivere vitam.
Martyrum servans pia busta, quamvis
Martyrum stola careas cruenta,
Martyrum martyr tamen incruentus,
Praemia tollis.
Sis memor nostri, Pater, atque civis;
Redde pacatum miseris tonantem.
Cerne, quae nostro capiti minantur
Judicis irae.

Turba, quem frendens tremit inferorum;
Quem Deum trinum veneramur omnes;
Quem canit Christi sine fine gaudens
Concio tota. Amen.

℣. Ora pro nobis, Beate Prisce.
℟. Ut digni efficiamur etc.

Ad Magnificat. Antiphona.

Fecit potentiam in brachio suo. Excussit pulverem de tumulo famuli sui, quem dedit colendum populo suo.

Oratio.

Da nobis Domine, gratiam tuam sincero corde invenire, inventamque ad finem usque caute custodire, quos beati Prisci confessoris tui gloriosa revelatione laetificare hodie dignatus es. Per Dom. etc.

℣. Dominus vob. etc.
℟. Et cum spir. etc.
Benedicamus Domino: Deo gratias.

AD MATVTINVM.

INVITATORIVM.

℣. Christum Regem exoremus :
℟. Ut cuius in terra corpus invenimus, eius consortio laetemur in caelis.
Venite exultemus, etc.

Hymnus, ut in prim. vesp.

Pro primo Nocturno Antiphonae super Psalm.

Inventum est in terra corpus viri sine macula, cuius memoria in benedictione erat.
Psalm. Beatus vir, qui non abiit etc. cum reliquis de Comuni Confessoris non Pontificis.
Dedit illi Dominus terram nostram hereditatem suam, quae perpetuo illius commendaretur patrocinio.
Psalm. Quare fremuerunt gentes etc.
Cum dormiret in pace, Deus suscitavit illum in auxilium, et gloriam plebis suae.
Psalm. Domine, quid multiplicati sunt etc.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum.
℟. Stolam gloriae induit eum.

Lectiones primi Noctur.
De Epistola ad Ephesios.

Fratres, iam non ambuletis, sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam, quae est in illis propter caecitatem cordis ipsorum, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiae in operationem immunditiae omnis in avaritiam. Tu autem Dom. etc.

℟. Sibi soli notum custodiebat Dominus in tumulo, revelandum tempore suo : * Ad gloriam, et honorem nominis sui.

℣. Dies namque, et tempora posuit Pater in potestate sua : * Ad gloriam, et honorem nominis sui.

Lectio II.

Renovamini autem spiritu vestrae mentis, et induite novum hominem, qui se-

cundum Deum creatus est in iustitia, et sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium loquimini veritatem, unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra. Irascimini, et nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram. Tu autem Dom. etc.

℟. Per visum, et somnia admoniti cives solliciti erant: * Ut beati viri corpus invenirent, inventumque debito honore prosequerentur.

℣. Orationibus igitur, ieiuniisque instabant: * Ut beati viri etc.

Lectio III.

Nolite locum dare Diabolo. Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus, ad aedificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Et nolite contristare Spiritum Sanctum

Dei, in quo signati estis in diem redemptionis. Tu autem Dom. etc.

℟. Terni de loculo radii micantes agricolae percellunt oculos, qui prae metu humi procubuit. Sed recreatus, iterum intendens aciem: * Quo prodierant, remeantes conspexit radios.

℣. Quid bonus faciat agricola? o res miranda! * Quo prodierant, remeantes conspexit radios. Gloria Patri etc. Quo prodierant etc.

Pro secundo Nocturno. Antiphonae.

Cum Christi Sacerdos Deum invocaret, ut beati viri corpus ostenderet, Deus exaudivit eum.

Psalm. Cum invocarem etc.

Per vias rectas eduxit illum, et patronum constituit illum plebis suae.

Psalm. Verba mea etc.

De cineribus famuli tui perfecisti tibi laudem ad destruendum inimicum, et ultorem.

Psalm. Domine, Dominus noster etc.

℣. Os iusti meditabitur sapientiam.
℟. Et lingua eius loquetur iudicium.

Lectio IV.

Beati Prisci Confessoris corpus sanctissimum, quod inter veteres Quintodecimi Vrbis ruinas per plura secula delituit, tandem extincto Petri Leonis nefario schismate, Deus, non sine certis virtutis suae indiciis revelare dignatus est. Nam hiemali primum tempestate, tenebricoso aere, radii tres fulgentissimi de Loculo eius prodeuntes agricolae cuiusdam oculos ex inopinato ita perstrinxerunt, ut pene obcaecatus in terram corruerit, ingenti pavore perculsus. Sed mox recreatus, cum aciem iterum intendisset, radios eosdem eo redeuntes vidit, unde primum eruperant. Res ab agricola ad patruum defertur, Nicolaum nomine, notae integritatis Presbyterum: hic cum Alferio communicat. Alferius autem tunc temporis Archipresbyterum Aquae putidae agebat, quae civitas post Mirabella nuncupata ab Arce nominis huius sibi, iussu Rogerii Regis, imposita. Tu autem Dom. etc.

℟. Re a Nicolao cum Alferio communicata, unanimes statuunt, instare apud eum: * A quo sancta desideria, recta consilia, et perfecta sunt opera.
℣. Orationibus itaque, ieiuniisque sine intermissione rogabant Dominum: * A quo sancta etc.

Lectio V.

Alferius, concione habita in Ecclesia Civitatis maiore, rem omnem exponit, gratiisque Deo actis, ieiunium cum precibus Clero, populoque indicit. Quibus absolutis, palam cum omnibus locum petiit, quem agricola cum Nicolao designaverat. Verum eo in defodiendo preces inter, psalmorumque cantus, etsi diu, frustra tamen insudatum est. Nihil enim, nisi lapidem offenderunt, in quo beati Prisci confessoris nomen fuerat olim insculptum. Quae inter Nicolaus Presbyter se commeminisse, asserit, in eumdem Lapidem et se ante

incurrisse, sed nullo evincere conatu potuisse, ut e loco dimoveret. Quin etiam nocte insequente virum alium bonum, qui pridie cum caeteris tumuli locum pie sollicitaverat, a beato confessore increpitum per somnium, admonitumque fuisse: Dei voluntate, non ante corpus suum fore manifestandum, quam Petri Leonis schismati finis esset impositus. Tu autem Domine, etc.

℟. Divinitus admoniti, ut ad locum pergerent, in quo beati viri corpus iacebat, *tentavit* Deus fidem illorum: * Vt spe dilata, non ablata, pia augerentur desideria, et aucta complerentur.

℣. Sic tentavit Dominus Abraham in filio suo: * Vt spe dilata etc.

Lectio VI.

Nocte itaque, quae Petri Leonis obitum proxime antecesserat, Confessor Christi, promissi tenax, Alferium per somnium hortatur, ut spiritum resumeret, eoque fidenter accederet, ubi frustra labor omnis

fuerat ante susceptus. Fore enim certissime, ut Deus illorum votis cumulatissime satis faceret. Inter haec Marcus Sacerdos denuntiat, sibi per somnium a Beato Prisco ostensum virgula, quam manu gerebat, circumscriptumque locum fuisse, in quo corpus eius iacebat. Nec mora. Mane illucescente, itum, quo iri, iussum est: interque hymnos, psalmorumque cantus, beati Prisci Loculus deprehensus est, sed alio plane loco a Lapide, de quo supra memoratum est. Loculo reserato, odor insignis, ac suavissimus cunctos, qui aderant, mirifice perflavit. Sacra Lipsana primum in Aedicula precario deposita, cui etiamnum Sancti Petri nomen adhaeret: deinde Johannis, Episcopi Frequentini, consilio, atque auctoritate, in Aedem, cui Sancti Angeli titulus erat, sollemni pompa fuere deportata, quae placuit, igne semel atque iterum probare, qui illico extinctus est, tamquam si ingens in ipsum de repente amnis influxisset. Auctus ex hoc sacrati pignoris cultus, qui innumeris exinde cumulatus largitatis divinae beneficiis,

ad haec usque tempora perennat. Tu autem Dom. etc.

℟. Inter orandum, labore minime intermisso, loco per Marcum insinuato, invenerunt denique corpus beati Prisci Confessoris: * Nec defuit Dominus votis famulorum suorum.

℣. Bona quippe, et impretabilis est oratio cum ieiunio, et lacrimis: * Nec defuit Dom. etc. Gloria Patri etc. Nec defuit etc.

Pro tertio Nocturno. **Antiphonae.**

Ingressus sine macula operatus est iustitiam in abscondito cordis sui.

Psalm. Domine, quis habitabit etc.

Vita namque ipsius fuit abscondita cum Christo in Domino.

Psalm. Domine, in virtute tua etc.

Et martyrum, quorum reliquias asservabat, proposito sibi exemplo, implebat passiones Christi in corpore suo.

Psalm. Domini est terra etc.

℣. Lex Dei eius in corde ipsius.

℟. Et non supplantabuntur gressus eius.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthaeum.

In illo tempore, respondens Jesus dixit: Confiteor tibi, Pater Domine caeli, et terrae, quia abscondisti haec e sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia Sancti Johannis Chrysostomi.

Quod hic *confiteor* dixit, idem valet, quod gratias ago. Gratias, inquit, tibi ago, quoniam a prudentibus, et sapientibus haec celasti. An igitur perditione illorum gaudere ipsum dicemus, et quoniam illi haec non didicere? Minime. Non ergo quia sapientes non cognoverunt, gaudent, sed quia parvuli perceperunt, laetatur. Ita et Paullus dicit: gratias ago Deo meo, quoniam fuistis servi peccati: obedistis autem ex corde, in quam traditi

estis, formam doctrinae. Tu autem Domine ect.

℞. Loculo recluso, divinum sacrae exuviae spiravere odorem: * sicut cynnamomum, et balsamum aromatizans.

℣. Corpora siquidem sanctorum, ut et ipsorum animae, Christi bonus odor sunt: * sicut cynnamomum, etc.

Lectio VIII.

Non ergo Paullus propterea gaudet, quia erant servi peccati; sed quia cum essent huiusmodi, veritatis cultores facti sunt. Prudentes autem hic Scribas, et Pharisaeos appellat. Quibus verbis alacriores reddit discipulos, cum intelligant, illa se piscatores esse consecutos, a quibus illi summi, ut videbantur, viri exciderunt. Cum autem sapientes dixerit, non illam veram laudabilem sapientiam intelligit, sed hanc quae seculari doctrina praestatur.

Tu autem, Domine etc.

℞. Beati capitis particula igni admota ignem restinxit. Quo viso, laudes cum lacrimis Deo dedere: * Qui mirabilis est in Sanctis suis.

℣. Et nos igitur confiteamur nomini Sancto Dei: * Qui mirabilis est. etc. Gloria Patri: etc. * Qui mirabilis est. etc.

Lectio IX.

Idcirco etiam non dixit, stultis revelasti, sed parvulis, quasi non formatis adhuc, sed simplicibus. Ita ostendit, non indigne illos, sed iure his rebus fuisse privatos, ac per omnia nos docet, flatum superbiae omnino esse fugiendum, ac simplicitatem aemulandam. Quod Paullus amplioribus verbis scribit dicens: si quis in vobis videtur in hoc seculo sapiens esse, is fiat stultus, ut sapiens efficiatur. Sic enim gratia Dei monstratur. Tu autem, Domine. etc.

Te Deum laudamus, etc.

AD LAVDES.

Antiphonae.

Egressus de terra sua, et de cognatione sua, venit in terram nostram, quam illi monstraverat Dominus.

Psalm. Dominus regnavit etc. cum reliquis de Dominica.

Sedit solitarius, et Legem Domini meditabatur die, ac nocte. Cuius conversatio in caelis erat, illi vivere Christus fuit, et mori lucrum.

Insensati vitam illius aestimabant insaniam.

Hinc inter filios Dei computatus est, et inter Sanctos sors illius est.

Capitulum. Laudemus etc. ut in vesp.

Hymnus.

Patronum celebrent civis, et advena
Maturusque senex, debilis, et puer,
Et quisquis benefacta
Grata mente recogitet.

Hic febrem toties, et miseram famem,
Cladesque a patriis finibus arcuit,
Nutantem, tremulamque
Tellurem tenuit loco.
Ingratos pudeat, talia pangere!
En dum poena premit, culpa redarguit,
Proni in deteriora
Semper, crimine originis.
Peccandi quis erit, quis veniae modus?
Clemens, parce, Trias, parce fatentibus,
Da, Prisci prece, mentem
Praeceptis docilem tuis.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectus.

℟. Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Benedictus. Antiphona.

Beati Prisci precibus a timore inimicorum nostrorum liberati, tibi, Domine, serviamus in pace.

Oratio, ut supra.

Ad Horas, Antiphonae, ut in Laud.
Ad Primam. Capitulum. Regi seculor.
Ad Tertiam. Capit. Laudemus. ℟. ut in Com. Conf. non Pont.
Ad Sextam. Capit. ad Corinth. L. C. 4.
Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.
Ad Nonam. Capit. Genes. C. 50.
Deus visitabit vos: asportate ossa mea vobiscum de loco isto.

PRO SECVNDIS VESPERIS.

Omnia, ut in prim. Ad Magnific. Antiph.

Respexit Dominus humilitatem servi sui in abdito iacentis, et exaltavit illum coram populo suo, ut beatum eum dicerent omnes generationes.

PRO DIE INVENTIONIS. *Octava.*

Omnia, ut in festo Inventionis, praeter hic posita.

Lectio IV.

Beati Prisci corpus, quod multis ante seculis pia patrum nostrorum sedulitate depositum latebat incognitum, antequam revelaretur, non uno signo praemonitum voluit Deus. Quod ideo factum sine dubio est, ut illi beneficii in se conferendi magnitudinem agnoscerent, et corda sua ad illud pro meritis excipiendum praepararent. Nam praeter lucis radios, quibus agricola de thesauro abscondito in terra nostra edoctus fuerat, aliis item bonae famae viris, per visus, et somnia, cum revelationis tempus, tum modus est praescriptus, quo tandem, quod optabant, assequerentur. Quin ipsa nocte, quae revelationem antecessit sacri pignoris, vir Dei Marco Sacerdoti virgula, quam manu gerebat, spatio circumscripto, per somnium locum com-

monstravit, in quo corpus suum iacebat. In cuius rei memoriam iam tum beatus Confessor sub forma viri virgam dextra circumagentis imagine propositus fuit. Tu autem Domine etc.

Lectio V.

Sed illud in primis cogitandum, memorique animo iugiter recolendum, eam beati Prisci in nos ab origine extitisse voluntatem, ut nisi in terra nostra, nusquam alibi se quieturum ostenderit. Nam Johanni, Episcopo Frequentino pia importunitate caput ipsius cum brachio Frequentum asportandum deposcenti, ita per Alferium, Civitatis Aquaeputidae Praesulem integerrimum iuxta, ac prudentissimum restitit, ut ille spe deiectus, quam animo firmissime praeceperat, ab incoepto demum penitus destiterit. Tu autem Dom. etc.

Lectio VI.

Quod beatissimi viri studium in nos singulare, et beneficium eius mirifice auget, et monet nos quotidie, ut tanto muneri pares nos vitae exemplis exhibeamus. Ecquid enim prodest, sanctorum reliquias procul adventantibus ostentare, deque iis gloriari, quorum piget sequi vestigia, quibus et sanctiores ipsi cum Sanctis Deo nostro efficiamur? Pudeat, Fratres, nos sacerdotes Dei Sancti, tanto iis, quos colimus, sanctitate minores incedere, quanto iisdem coram Deo, et hominibus officii dignitate praestamus. Tu autem Domine etc.

IN FESTO TRANSLATIONIS.

Omnia, ut in festo Invent. praeter hic posita.

INVITATORIUM.

℣. Transfer nos, Domine, ad regnum tuum.

℟. Quibus dedisti Beati Prisci corpus in terram nostram gloriose transferre.

Oratio.

Transfer nos, Domine, quaesumus, de peccatorum nostrorum tenebris ad lucem veritatis tuae, qui nos hodie beati Prisci, confessoris tui, gloriosa translatione laetificas. Per Dominum etc.

Lectiones secundi Nocturni.

Lectio IV.

Qua tempestate Constantius, Constantinopolitanus Imperator, Romualdum Longobardorum Principem, Beneventi aggressurus, Apuliam infesto exercitu appulit, Sipontinorum ante finibus vastatis, Luceriaque eversa, Aeclanensium Vrbem longa obsidione vexatam, denique expugnavit, soloque fere aequatam, Quintodecimum deinceps voluit appellari. Beneventum interea properans, quod secum, pro tempo-

rum consuetudine, multa Sanctorum corpora asportaret, inter quae, sacra beati Mercurii Martyris Lipsana (Beneventum postea ab Arrechio Duce translata anno salutis sexagesimo octavo supra septingentesimum); haec universa Prisco, gentis suae viro probatissimo commendavit, Quintodecimi religiose asservanda. Hic imposito sibi muneri non defuit: quin sanctorum reliquiis advigilans, semet sanctiorem, illorum sibi proposito exemplo, in dies exhibuit. Tu autem Domine etc.

Lectio V.

Heremiticam, ut traditur, absconditamque in Christo vitam, ad obitum usque duxit. Quod tamen vitae genus minime fraudi ipsi fuit, quominus et sanctus ab incolis, cum inter ipsos ageret, haberètur, et sanctitati eius vix demortui insigne adponeretur monumentum, in quo beati Prisci nomen erat inscriptum. Quod breve elogium, habita priscorum temporum severitatis ratione, omnium elogiorum instar ha-

beri iure merito debet. Sed temporum interea subsecutorum infelicitate, Quintodecimanis civibus alio, etsi non procul, commigrare coactis, haec omnia hominum pene memoria exciderunt. Tu autem Domine etc.

Lectio VI.

At Deus Omnipotens, cuius nutu, consilioque, temporum disponuntur momenta, pro Ecclesiae sanctae suae utilitate, famulorumque suorum gloria amplianda, Alferium, Aquaeputidae Praesulem, cum proxime per se, tum per alios, quin alius de alio sciret, saepius admonuit, ut de Sancti Confessoris corpore inquirendo cogitaret. Quod cum ille per vices frustra fuisset expertus, tandem ingenti omnium laetitia, loco per somnium ante a Sancto Confessore Sacerdoti Ecclesiae Aquaeputidae, cui Marco nomen erat, virga per circulum commonstrato, assecutus est. Venerabiles itaque viri Dei exuviae tunc primum detectae, igneque probatae, deinde

ex Vrbe Quintodecimana Aquamputidam sollemni pompa translatae, nunc in Ecclesia ad servantur Sanctae Mariae Maioris Mirabellae, quo nomine auspicatiore vetus illud Aquaeputidae iam diu obsolevit. Tu autem Domine, etc.

AD MISSAM.

Beneplacitum est Domino in populo suo, et exaltavit illum in revelatione pretiosi pignoris Beati Prisci Confessoris sui.
℣. Psallite Domino quoniam bonus.
℟. Quoniam in seculum misericordia eius.
Gloria Patri etc. Beneplacitum est.
Kyrie eleison. Gloria etc. Domin. etc.

Oratio, ut in Officio.

Lectio Epistolae Beati Paulli Apostoli ad Ephesios.

Fratres. Jam non ambuletis, sicut et Gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum,

alienati a vita Dei per ignorantiam, quae est in illis, propter caecitatem cordis ipsorum, qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiae in operationem immunditiae omnis in avaritiam. Renovamini autem spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, et sanctitate veritatis.

Graduale. Non mihi thesauros laudes, custodis egentes, Custode interea cum miser ipse egeam.

℣. Sint mihi thesauri sanctorum pignora, quae, ne sim custodis egens, sunt potis efficere.

All. All. Nam Deus, illorum custos, custodiet illos, talia qui iugi sedulitate colunt. Dom. vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Sequentia S. Evangelii secundum Matth.

In illo tempore: Respondens Jesus dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine caeli, et terra, quia abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic fuit pla-

citum ante te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo; et nemo novit filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. *Credo.*

Offert. Suscipe, Domine, vota populi tui per manus illius, quem patronum nobis apud te misericorditer constituisti.

Secr. Praesta, misericors Deus, ut sicut te opitulante, abdita beati Prisci pignora invenimus in terra, ita huius precibus te in caelesti patria contemplari revelata facie mereamur. Per Dom.

Postcom. Protector noster aspice Deus, et respice in faciem servorum tuorum.

Oratio.

Quas, Domine, sub mystico panis, et vini velamine delibavimus, delicias, iisdem, intercedente Beato Prisco, confessore tuo, fac ut plenis haustibus inebriemur in Caelo. Per Dom. etc.